Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

vehementer offendat. Sed hoc ut demonstretur longo sermone opus est.
Ipsis autem auribus exhiberi potest ab eo qui novit in regulari monocordo.

III. De simplo salvatoris nostri quod ad duplum nostrum concurrit et congruit.

Quod instat in presentiarum quantum donat deus edisserendum est quemadmodum simplum domini et salvatoris nostri Iesu Christi duplo nostro congruat et quodammodo concinat ad salutem. Nos certe quod nemo christianus ambigit et anima et corpore mortui sumus: anima propter peccatum, corpore propter penam peccati, ac per hoc et corpore propter peccatum. Utrique autem rei nostre, id est et anime et corpori, medicina ex resurrectione opus erat, ut in melius renovaretur quod erat in deterius commutatum. Mors autem anime impietas est, et mors corporis corruptibilitas per quam fit et anime a corpore abscessus. Sicut enim anima deo deserente, sic corpus anima deserente moritur, unde illa fit insipiens, hoc exanime.

renovatio — Resuscitatur enim anima per penitentiam, et in corpore adhuc mortali vite inchoatur a fide qua creditur in eum qui iustificat impium, bonisque moribus augetur et roboratur de die in diem, cum magis magisque renovatur interior homo. Corpus vero tamquam homo exterior quanto hec est vita diuturnior magis magisque corrumpitur vel etate vel morbo vel variis afflictationibus, donec veniat ad ultimam que ab omnibus mors vocatur. Eius autem resurrectio differtur in finem, cum et ipsa iustificatio nostra perficietur ineffabiliter. Tunc enim similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc vero quamdiu corpus quod corrumpitur aggravat animam, et vita humana super terram tota temptatio est, non iustificabitur in conspectu eius omnis vivens in comparatione iustitie qua equabimur angelis et glorie que revelabitur in nobis. De morte autem anime a morte corporis distinguenda quid plura documenta commemorem, cum dominus in una evangelica sententia utramque mortem cuivis facile discernendam posuerit ubi ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Sepeliendum quippe corpus mortuum erat, sepultores autem eius per infidelitatis impietatem in anima